Quaestio medica Quodlibetaria Disputanda agitata In Scholis Medicorum die Jovis 11^a Januarii

D. Phil. Laudenoto Doct. Med. Moderatore Prudentissimo.

An quod Immodicum noxium?

Cum bona valetudo in trium facultatum integritate consistat, ex 4or elementorum symmetria et humorum justa proportione pendeat, fit ut illa tamdiu perfectas et laudabiles actiones edat, quamdiu omnia aequabili moderatione in corpore intus et foris colliguntur. Contra vero actiones vel aut imminuuntur, aut pereunt, cum modus ille qui ad cuiusque naturam est accommodatus superatur, neque in iis tantum robur, quas natura ad sui conservationem appetit ut in cibo et potu, somno et vigilia, venere et exercitatione moderatio illa requiritur: sed in iis etiam expellendis et excernendis quae molesta sunt. Dum enim natura conatur expellere quod sibi negotium facessit, id facit adhibita certa quadam mediocritate, ut vires suas conservet, ac profusa vacuatione suum calorem extingui, et magnam spirituum copiam exhauriri non patiatur. Hinc in primis sunt sudores, haemorrhagias, vomitus, dejectiones, menses, haemorrhoides, si ea progrediantur ut vires prosternant.

Sudor quidem naturae et generationis modo cum urina consentiens saepius ubi naturae reseratis cutis meatibus, venisque et arteriis laxatis per somnum (in quo calor versus interiora recurrit) liberalius et anterioribus partibus magis quam posterioribus effunditur. Hinc in judicandis febribus proprius est et familiaris praesertim ardentibus, si calidus et toto corpore morbo jam cocto, die critico cum febris et symptomatum remissione profluat. Interdum vero proprium est febrium quas ἐλώδεις appellant symptoma. quod si multus morbi motu frustra tentata crisi moveatur, aut longo tractu temporis licet paucus excernatur, aut utroque modo prodeat, valde perniciosus est. Ut enim ille quia fractis viribus febrem non solvit, mortem portendit, ita qui paucus longiori tempore prodit, longitudinem morbi aut mortem denunciat. ἐφίδρωσις omnis prava praesertim in superioribus corporis partibus frequentia, paucitate et partium male affectarum dignitate, nec minus incommodi affert aegroto sudor, qui incipit quidem moveri, sed continuo cessat, aut qui profluvio sanguinis supervenit, aut qui jam dissolutis corporis viribus, et colliquatis solidis partibus (qualis fortassis fuit sudor Anglicus) effluit.

Sanguis autem vitae thesaurus in venis et arteriis diligenter a natura conservandus in sanis saepe et adolescentibus, quo tempore viriori incipiunt sine incommodo e naribus profluit imo vero magnas periculosas interdum inflammationes phrenitidem, febres ardentes plerumque sedat, quartanas etiam aliquando, quamvis in lethargo peripneumonia, et morbis pulmonum suspectus esse soleat, criticus solvit. quapropter statim cohiberi non debet praesertim si die critico praecedentibus coctionis signis καλ' ἰξιν, κάλως καὶ δαψιλέως profluat. quod si resolutis partibus sanguinem gignentibus, aut expugnantibus prae copia, acrimonia, fervore venas aperiendo dividendo, rodendo, aut transcolando largius effluxerit summa diligentia reprimi debet. cui si vigor, perfrigeratio (quae interdum profluentis sanguinis remedium est) aut aliud profluvium superveniat, non solum gravioris alicujus incommodi, sed saepe mortis metus injicitur: crisi vero frustra tentata, si natura prae imbecillitate opus suum perficere non potest, parvas excernit stillas quae semel factae pessimae sunt, per intervalla repetitae ambiguae; ut liberales plenius magna et parte magnos morbos solvere solent.

Vomitus (ventriculi venarum et aliquando totius corporis vacuatio) naturae motu concitatus salutaris est, comitem habens pulsus pleniores et validiores, facilem respirationem, affectiam molitionem, totius corporis levitatem, morbi denique remissionem. Saepius tamen inutilis est, aut etiam perniciosus si ubi morbi naturam irritantis nullis signis coctionis antecedentibus die non critico moveatur, nullamque morbi remissionem adferat. atque in eo non solum spectanda consistentia eorum quae per os et oesophagum redduntur, sed etiam color, odor, facilitas excretionis. nam ut optimus est bilis vomitus, cui pituita permista est, ita bilis sincera tanto deterior est, quo sincerior. aeruginosus autem ut in hepatis inflammatione, phrenitide, et nobilis alicujus visceris in hypochondriis lethalis esse solet, ita in gravissimis ventrium cruciatibus non semper est inutilis. lividus, subexiguus varius et graveolens mortem portendit. dejectiones autem laudabiles quae proportione respondent iis quae assumpta sunt, mediocri consistentia, et quantitate, colore subflavo, odore non nimis gravi et olente, consueto tempore sine stridore, et dolore excernuntur. a quibus quae degenerant in vitio sunt, liquidae, nigrae, sinceras, foetidas, celeriores, et tardiores quam par est dummodo id fiat alimentorum non medicamentorum ratione.

Menses soli inter sanguinis eruptiones sunt in natura quae certis statisque diebus sanguine generando, et alendo foetui destinato in uteri capacitate transmittit. atque illi si accommodate ad cuiusque naturam et aetatem fluant, non solum bonum corporis habitum conservant, sed a magnis etiam morbis quos ipsorum suppressio saepe in caput, hepar et pulmonem refluente inducere solet vindicant, cataphora, lethargo, comate, aliisque affectibus per naturam et alterius sexus qui excerni debet, vindicavit. quod si propter vasorum laxitatem, ruptionem, erosionem, aut imbecillitatem partium immodice fluant, varia inducunt symptomata qualia haemorrhoides quas profluentes saepe per venas ani maxima quidem afferunt commoda dum incipientem melancholiam prohibent, factam sanant, pleuritide, peripneumonia, phagedaena, furunculis, lieno induvato, arthritide, nephritide, lepra, alphis liberant. sed immodice fluentes gravissimorum malorum effectrices causas imbecillitatis, ... hydropis, tabis existunt.

Igitur quod Immodicum noxium.

Deffendebat Jacobus Heraut Constantinas. 1582.

Domini Doctores Disputaturi.

M. Bartholomaeus Perdulcis.
M. Bonaventura Grangier.
M. Joannes Martin.
M. Andreas Du Breuil.
M. Claudius Bazin.
M. Joannes Lamy.
M. Nicolaus Le Gros.
M. Guillelmus de la Barre.
M. Ludovicus Thibault.

F.N.C. BIBLIOTHEQUE